Disputatio medica inauguralis, de hydrocephalo acuto : quam, annuente summo numine : ex auctoritate reverendi admodum viri, D. Georgii Baird, SS.T.P. Academiae Edinburgenae Praefecti : nec non amplissimi senatus academici consensu, et nobilissimae facultatis medicae decreto : pro gradu doctoratus, summisque in medicina honoribus ac privilegiis rite et legitime consequendis, eruditorum examini subjicit / Thomas Petter Powell, Anglus, Soc. Reg. Phys. Edin. Soc. Hon.

Contributors

Powell, Thomas Petter.
University of Glasgow. Library

Publication/Creation

Edinburgh, 1795.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/khgcv6ns

Provider

University of Glasgow

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The University of Glasgow Library. The original may be consulted at The University of Glasgow Library. where the originals may be consulted.
This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

JA

GULI

LITERA

AM

JACOBO POWELL,

PATRI INDULGENTI,

HONORANDO;

ANIMI GRATI

PEREXIGUUM EHEU!

SIGNUM;

ITEMQUE,

JUVENI OPTIMO

GULIELMO A. BURKE,

MORIBUS INGENUIS,

VIRTUTE EXIMIA,

LITERARUM BONARUM SCIENTIA

ORNATO;

AMICITIÆ INTAMINATÆ

DOCUMENTUM:

HOC OPUSCULUM

SACRAT

AUCTOR.

Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/b24928689

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HYDROCEPHALO ACUTO.

ETSI minime credendum eſt mortales ab hoc morbo priſcis temporibus immunes fuiſſe, tamen Natura ejus medicos antiquiores prorſus latuit. Signorum ejus indoles obſcura, neglectæque cadaverum ſectiones in cauſa ſunt cur tamdiu ad alios morbos ſoporoſos, vel ad vermes, hujus morbi indicia, referri ſole-

bant. HIPPOCRATES* profectò plurima hydrocephali acuti ſigna recenſuit; ſed de alio prorſus morbo eum differuiſſe luculenter patet; quod curationis methodus propoſita probat, quippe qui " inciſo juxta ſinciput capite ad " cerebrum uſque perforare, et velut ſectio- " nem per terebram curare" jubet.

Alii etiam et olim et nuper de morbo ſub hydrocephali nomine verba fecêrunt; ſed obſervationes eorum ad hydrocephalum externum vel ſaltem ad interni ſpeciem chronicam pertinent: In eâ caput nonnihil, aliquando mirifice tumet, hiant cranii ſuturæ, et quaſdam mutationes quod ad formam et magnitudinem cerebrum ſubire invenitur: Tanta in quibuſdam exemplis fuit aquæ quantitas, ut maxima cerebri pars deeſſe viſa eſt, reſtante tantum ſubſtantiâ glandulam potiuſquam cerebrum referente. Neſcio an Arætei † verba

* De Morbis, lib. ii. cap. 6. CHARTER, tom. vii. p. 556.

† Caput de Cephalæa.

ba ad hunc morbum referunt. Sennertum ſemel iterumque * eum vidiſſe veriſimile eſt.

Sed pauci effluxerunt anni ab eo tempore quo hujus morbi vera natura et indoles plenius intellectæ ſunt, ejuſque indicia accuratè enumerata ſub † titulo Hydrocephali interni: ‡ Hoc nomen ſibi adeptus eſt morbus, ex eo quod medici putarunt, aquam in ſpecie chronicâ ſecus ac in acutâ, non in ventriculis ſed inter cerebrum et cranium collectam eſſe: ſed quoniam novimus in illo etiam morbo ventriculos nunquam non aquâ diſtendi, nomen *Hydrocephali Acuti* morbo noſtro, diſtinctionis gratiâ magis videtur accomodatum. De hoc igitur, non autem quippe propriâ experientiâ noto, ſed a ſcriptoribus auxilium petens, et alienæ induſtriæ fructu libere utens pauca admodum ſcribere meum erit.

Impuberes

* Pract. Lib. i. part. 3. ſect. 2. cap. 26.

† Med. Eſſays Edin. vol. iii. p. 305.

‡ Ibid. et Dr WHYTT's Eſſay on Dropſy of the Brain.

Impuberes præcipue hic morbus adoritur, et inter annum ætatis ſecundum et decimum; ſed licet ita plerumque ſit tamen ante annum ſecundum vel etiam primum haud ita raro impetum facit; ferunt nonnulli medici, et hi quidem nobiles exempla adoleſcentium, immo adultorum, eo laborantium: Caſus haud pauci proſtant, ubi annum inter viceſimum et triceſimum vitam degentes corripuit *: a Dre Quin quoque accepimus mulierem 40 annos natam in Noſocomio Edinenſi mortuam eſſe, cujus in cerebri ventriculis humoris copia limpidi reperta eſt.

Quod ad ſexum attinet, vix ullum diſcrimen notari ſolet: afferit tamen Ludwig †, quod ſi poſt annum decimum impetum faciat, puellas plerumque adoritur; ante iſtam vero ætatem

* London Med. Obſ. vol. iv. p. 55. 57. and 86. vol. vi. p. 58 60. Med. Com. vol. vii. p. 221. Gregor. Prælect. de Medic. Practic.

† De Hydr. cerebri Pueror. Baldingeri Sylloge, vol. v. p. 184. Med. Obſ. vol. iv. p. 41.

ætatem maribus, æquo ac fœminas, malum eſt commune.

De tempori hujus morbi acceſſus et de ejus duratione, inter auctores non convenit. Dr WHYTT * præſtat eum tardis paſſibus invadere, et ſæpe in plures, ſex ſc. vel ſeptem hebdomadas produci. Dr FOTHERGILL † teſtatur ſe raro morbum vidiſſe ultra tertiam ſeptimanam protractum, ſæpe vero intra memoratum tempus finitum: Infantes ſe vidiſſe, qui optima ſalute, et ingenio hilari potiti, ſubito correpti et intra dies quatuor decim trucidati ſunt. Secundum Doctoris PERCIVAL ‡ calculum, ex exemplis novemdecim, ſeptem intra hebdomadam ſecundam, altera ſex intra tertiam, quatuor intra quartam curſum ſuum abſolverunt; unam ad ſeptimanam prope ſextam, aliud ad duodecimam protractum fuit.

Hujus

* On Dropſy of the Brain.

† Med. Obſ. vol. iv. p. 44.

‡ Med. Facts and Obſ. vol. i. p. 119.

Hujus morbi indicia in tria ſtadia pro pulſus ſtatu uſitate dividuntur; quorum primum dies quatuordecim vel multo amplius perſtare dicitur, ſed plerumque intra illud tempus finitur.

Incipiente morbo per dies quoſdam languore, anorexia, nauſea et capitis dolore levi afficitur æger, pallidus, macer, ſomniculoſus, animoque demiſſus fit. Haud raro autem alacrem et vegetum ſubito adoriuntur ſymptomata ſequentia: De nauſea et de dolore acuto in aliqua capitis parte conqueritur æger, in vertice, in uno, aliove latere, ſed præcipue ſupra oculos; dolor etiam nucham et humeros plerumque, et ſæpe crura et brachia occupat, et tunc capitis dolor, et nauſea minus ſunt graves; et ſi artus doloris expertes ſint, tunc caput et ventriculus gravius laborant. Dolor etiam capitis cum ventriculi affectione nonnunquam alternat: ſi valde urgeat cephalalgia, veſperi fere intenditur, et mane levior fit: interdum parvam tantum capitis partem

occupat,

occupat, et ſecto cadavere illam juxta partem plerumque tumor in cranio inventus eſt *. Dolor brevi valde indenditur; nauſea et vomitus bis terve in die ſemper fere urgent, et de his alternatim conqueritur æger; jacere cupit, ſed fugit ſomnus, et vigilium pervicax miſerum tentat; per intervalla tamen dormitat et dentibus frendet, naſum digitis carpit, et ſæpe perterritus expergiſcitur; dum vigilat ſuſpirat ſæpe, anhelatque; miram ſenſibilitatem oculi adipiſcuntur, et lucem tolerare vividam non poſſunt; linqua interdum albeſcit, interdum egregie nitet; ſitis urget; dolet nonnunquam abdomen, alvus pertinaciter aſtricta eſt, et difficillime catharticis movetur; rarius adeſt diarrhœa cum obſtipatione alternans; fæces odore fœdo, et colore ſunt viridi; urina, varia quod ad colorem, et ſedimentum quod deponit, nihil utile monſtrat; aliquando adſunt convulſiones, leves tamen et parum generales. Ad vel cito poſt morbi initium

* Gregor. Prelection. de Medicina Practica.

tium pulſus frequentior evadit, et calor cutis, præſertim capitis, augetur; pulſus interdum centies quadragies in minuti ſpatio micat, plerumque regularis eſt, et modice plenus. Pulſus frequentia, et alia pyrexiæ ſigna remiſſiones ſæpe habent, ſed raro tempore quovis definito; interdum autem veſpere aliqua cum regularitate redeunt paroxyſmi, cum faciei rubedine, et delirio, aliquando feroci, præſertim ſi adultus ſit ægrotus: Cætera etiam ſymptomata, remiſſiones et exacerbationes, incertis quoque temporibus, ſubeunt.

Stadium ſecundum incipere dicitur, ubi pulſus, antea celer, nunc lentus evadit: Hanc mutationem ſubit viginti quandoque dies, ſæpius autem decem, ante mortem; pulſus non tantum tardior quam in primo ſtadio fit, ſed infra ſtatum ſanitatis naturalem deſcendit, ita ut interdum haud amplius quam quinquagies in horæ ſexageſima parte micent arteriæ. Hæc pulſus tarditas adeo conſtans eſt, ut Dr Whytt unum tantummodo vidit exem-

plum

plum in quo ad normam ſaltem naturalem non deſcendit; et in illo etiam, antea centies quadragies, poſtea vix centies in minuti ſpatio arteriæ micuerunt.

Pulſus licet decreſcat, cutis tamen calor non imminuitur, ſed idem fere remanet: Omnia pene primi ſtadii ſymptomata nunc perſtant, nonnulla augentur, et nova quædam adveniunt. Æger perpetim luget et horrifice ejulat, et terrificas figuras ſe interdum cernere dicit; ſæpe autem de nihilo prorſus conqueritur; toro reſidere nequit, ſed perpetuo vigilat; et adeo a motu abhorret ut urinam per horas duodecim vel quindecim detinet: ad hujus ſtadii principium vel aliquando ante, oculorum ſenſibilitas plurimum imminuitur, pupillæ gradatim dilatantur, neque lucis ſtimulo ſeſe contrahunt; incipit ſtrabiſmus, oculis extrorſum, vel naſum verſus tortis, et objecta duplicia videntur; halitus fœtore peculiari ingrato inquinatur. Circa hujus ſtadii finem ſupervenit coma, et tunc capitis dolor minus

urget, et nauſea et vomitus minuuntur vel penitus ceſſant, et cibus ſæpe avide devoratur: Vermes frequenter evomuntur vel dejiciuntur.

In tertio ſtadio, quod a duobus ad decem dies ante obitum incipit, pulſus tertiam rurſus mutationem ſubit, et æqualior, ſimul autem frequens et debilis fit; varia eſt celeritas, ſed vix minus quam centies viginties in minuti ſpatio micat pulſus; et unum vidit exemplum Dr Whytt in quo ad ducentum et decem aſcendit: ſæpe in decurſu unius diei variat pulſus frequentia; ſed ſemper maxima eſt eo die quo ægrotus mortem oppetit. Augentur nunc coma et ſtupor vel ſi ad ſenſum quendam excitetur æger, parum cohærentia murmurat; ſæpe caput verſus admoventur manus; oculi magis afficiuntur: Strabiſmus augetur; pupillæ contrahi deſinunt admota etiam luce fulgentiſſima, et amauroſis perfecta aliquando ſupervenit; una imprimis, dein utraque palpebrarum fit paralytica; parum

afficitur

afficitur auditus nisi juxta finem. Tandem respiratio fit difficilis et stertorosa, longo post singulam expirationem interposito intervallo; oculorum tunicæ adnatæ inflammatæ rubescunt; sæpius in die alia gena incandescit et rubore suffunditur, altera cum labiis pallida et frigida manente; corpus totum, sed præcipue brachia et mammæ, maculis scatent rubris; lingua et fauces rubent; deglutitio ægre perfici potest; diarrhœa nunc haud raro adest, et fœces et urina inscio ægro dejiciuntur; tota facies et artus valide convelluntur; tendines subsaliunt, et sic naturæ concedit æger.

Interdum autem non ita perit, sed, cessantibus convulsionibus, cutis calor plurimum intenditur; sudore perfunditur corpus; vacillat pulsus et irregularis tandem et frequentissimus fit, et mors quasi pedetentim miseriis finem imponit.

Hoc modo hydrocephalus acutus si exitium afferat, cursum suum plerumque absol-

vit;

vit; ſed in omnibus fere morbis, et in hoc præcipue variationes quædam ſæpe obſervantur. Nonnulli * per totum morbi decurſum a nauſea et vomitu immunes ſunt, et cibum avide devorant. Non ſemper adſunt delirium, ſtrabiſmus, pupilla dilatata, pulſus tardus et inæqualis †. In exemplo a PAISLEY ‡ narrato, pulſus die proximo ante mortem tardus et intermittens fuit. Unum vidit caſum GREGORY illuſt. § in quo morbus cum amauroſi incepit.

Signis morbi traditis proximum eſt ut, quæ interaneis cadaverum introſpectis ſeſe offerant, ea narremus. Cranio aperto nonnunquam ſtatim inter cranium et cerebrum, aquæ quantitas parva, interdum etiam ſanguinis coacti,

* Dr MACBRIDE's Introduc. &c. and Dr RUSH's Med. Enquiries, vol. ii. p. 209.

† RUSH, ibid. and Dr WHYTT, loc. cit.

‡ Edin. Med. Eſſays, vol. iii. p. 305.

§ Prelect. de Medic. Pract.

coacti, reperitur. Copia laticis haud exigua turgescunt cerebri ventriculi, interdum unicus solummodo, sæpius autem ambo laterales. Ventriculi etiam tertius et quartus aquam sæpe continent, interdum vacui evadunt: multum variat copia in diversis casibus, sed ut plurimum a duabus ad uncias sex: usitate coloris expers est liquor, interdum vero subflavus. Fluidum hoc, secus ac illud quod in thorace et abdomine hydropicorum invenitur, calore non coagulatur, sed igni objectum in auras, nullo prorsus restante sedimento, dissipatur. Cerebri substantia firma et naturali crassitudine prædita est, et aspectu parum mutata: haud raro tumores variæ molis inveniuntur in durâ matre, interdum in abscessus abeuntes: nonnunquam vix æquant magnitudine fabam parvam; tumorem attamen WHYTT celeb. vidit intra Thalamum nervi optici dextri, ovo gallinaceo vix minorem, colore intus subflavo, et duritie insigni notabilem. Pituitaria et pinealis glandulæ tumidæ

sæpe

ſæpe et ſchirroſæ ſunt; ſeptum lucidum ſolito craſſius et opacum; plexus choroideus pallidus vel durus ſchirroſuſque cum hydatidibus parvulis; piæ matris vaſa plerumque ſanguine turgeſcunt, ſuperficie hic illic cruſta inflammatoria interdum, rarius licet obducta et rubedo generalis per totum cerebrum ſubinde videtur. Quod ad cæteras corporis partes, hæ nullam ſpeciem conſtantem præſtant: glandulas cervicales mirum in modum tumefactas vidit Dr QUIN. Viſcera mollia et laxa, pulmones tuberculis ſcatentia, inteſtina vacua et inflammata, lumbricos mortuos continentia, glandulæ meſentericæ tumidæ et inflammatæ variis in cadaveribus obſervantur: In aliis autem vere multis ab omni morbo immune fuit reliquum corpus. Nonnullis in exemplis, quibus æger cito periit poſt ſignorum quorundam acceſſum quæ pro hydrocephali indiciis habita ſunt, nullus inventus eſt liquor aut in ventriculis aut in cerebri alia parte, ſed vaſa et cerebri et membranarum ejus inflammationis

mationis ſigna exhibuerunt et ſanguine turſerunt, quaſi ſumma anatomici arte repleta *.

Diagnosis—Morbum inter hunc ingruentem et alios quoſdam haud parum difficilis eſt. Plurima indicia huic cum aliis a dentitione et aliis irritationibus, ſed præcipue a vermibus, orientibus communia ſunt. At ſi juvenem lenta febris intermiſſionibus et exacerbationibus inæqualis, cum nauſea, vomitu, capitis et præſertim frontis dolore, lucis impatientia, vigilia et obſtipatione ægre ſuperanda, adoriatur, morbus dirus metuendus eſt: ſed ſecundi ſtadii advenientia ſymptomata, pulſus ſc. tardus et inæqualis, coma, pupillæ dilatatæ et ſtrabiſmus, primum ſtadium excipientia, de morbi naturâ dubitare vetant.

De diagnoſi inter hunc morbum et verminationem, ita differit amicus meus dilectus

* Quin. Theſ. p. 21. 23. Med. Facts and Obſ. vol. i. p. 127.

tus * Doctor TROUP : "Hydrocephalo interno verminationem dignoſcere valde difficile eſt. WHYTTIUS, medicus apprime ſagax, ubi de hydrocephalo differit, ait, hunc ab illo morbo internoſci interdum non poſſe, cum præſertim eadem ferme ſigna utriuſque communia ſint; in utroque enim æger dentibus frendet; nares carpit; ex ſomno ſubito expergiſcitur; ſomniis horrificis inquietatur; oculi item hebeſcunt, eorumque pupillæ diducuntur; dolet perquam caput; dolet etiam abdomen. Verum internoſci tamen poſſunt morbi animum ad ſedem doloris et ſigna quæ comitantur advertendo: verminoſis enim dolet totum caput, licet obtuſius, et inſolitâ vertigine afficitur; hydrocephalicis dolet una tantummodo pars, modo occiput, modo ſinciput ſupra oculorum orbitas, neque raro inde huc dolor, vel uno tempore ad alterum dictis citius tranſvolat; his

* Diſput. Inaug. de Lumb. Inteſt. Teret. Edin. 1793. p. 28. &c.

his conſtantior eſt dolor et æqualior, illis remittit identidem et interjectis temporibus ingraveſcit.

Signis quoque aliis, quibus notantur morbi de quibus hic differitur inter ſe aliquatenus differunt. Hydrocephalo urgente alvus pertinaciter compreſſa eſt, uſque eo ut catharticis quidem medicamentis moveri nequeat; rodentibus autem inteſtina vermibus, plerumque fluit et mucus parva haud quantitate dejicitur; verminoſis, raro autem hydrocephalicis, tumet abdomen et comprimente aliquo dolet: vermibus inteſtina rodentibus primum afficitur abdomen, deinde aliæ partes; urgente hydrocephalo primum afficiuntur aliæ quædam partes, deinde abdomen: hydrocephalus internus pauciores plerumque annos natos afficit quam qui vermiculantur. Hydrocephalici ſerius ocius ſtrabones evadunt, neque niſi in longitudinem porrecti incumbere poſſunt; verminoſi rariſſime ita ſi unquam.

Hydrocephalus provectus, verminatione facile dignoſci poteſt. In illo enim morbo, ſecus ac in hoc, arteriæ tarde et inæqualiter micant; pupillæ oculorum paulatim dilatantur, aliaque ſimul ſigna cerebrum compreſſum manifeſtant."

Dentitioni difficili multa ſigna cum hydrocephalo incipiente communia ſunt, febris ſc. nauſea, vomitus, vigilia, aliaque: ſed illo morbo laboranti minus accedit ætatis quam hydrocephalico; alvus facile movetur: Infans porro dentiens digitos in os immittit; ſæpe convellitur, et introſpectis faucibus gingivæ tumidæ et rubræ videntur.

Hydrocephalo chronico et acuto, utrique ſuæ notæ ſunt, quibus inter ſe dignoſcuntur. Infantibus illo morbo correptis tumet caput; at ſi provectioris ſit ætatis æger, oſſium durities obſtat ne tale adſit ſignum, et alia ad morbos dignoſcendos petenda ſunt. Illo urgente morbo pulſus plerumque frequens et nunquam ut in hoc tardus fit: in illo quam in hoc convulſiones

vulſiones magis tentant: in hoc porro ſecus ac in illo lucis intolerantia, et ſæpe delirium urgent. Ille denique per aliquot menſes vel etiam annos perſtat, hic rarius ultra menſem producitur.

Obſtructis glandulis meſentericis febris adeſt irregularis; ſed pulſus, morbo durante, nunquam lentus fit ſic ut in hydrocephalo, nec tantum dolet caput nec urget vomitus: in illo etiam morbo tumet plerumque abdomen et plus dolet quam in hoc.

Pulſus tardus et irregularis fit interdum colicâ, cephalalgia et ventriculi affectionibus laborantibus; ſed his cutis, ſecus ac hydrocephalicis, frigidula et naturalis manet.

Morbi progreſſum attente obſervando, hydrocephalum ab iis ſymptomatibus, quæ febrium aliarum finem comitantur, facile diſtinguere licebit.

Causæ Remotæ. — Hydrocephalus acutus eos, qui labe ſcrofuloſa laborant, præcipue aggreditur

aggreditur. Ex viginti et duobus exemplis a Dre PERCIVAL citatis * undecim manifeſtè ſcrofuloſa labe prædita erant; tria alia ejuſmodi ſigna, minus licet manifeſta, miſerunt, et quatuor præternaturalis molis capita habuerunt. Morbus tamen ipſe vix hæreditarius dici poteſt; plures enim, imo omnes ejuſdem familiæ infantes haud raro corripuit, dum nulla ejus indicia in parentibus aut cognatis obſervari potuerunt: fertur etiam ejuſdem ſobolis fæminas hoc morbo ſuccubuiſſe, ſalvis omnino maribus †.

Labes autem hæc peculiaris nulli ſæpe vitio evidenti aut temperamento tribui poteſt: infantes enim ſanitate firmiſſima, corpore valido, mira gnavitate, ingenio vivido et acuto fruentes, frequenter hoc morbo corripiuntur: ſæpe etiam fuit cutis eximie nitida et venuſta,

* Med. Facts and Obſ. vol. i. p. 129. et LUDWIG. Diſſert.

† QUIN on Dropſy of the Brain.

venuſta, vegetus oris color, frontis, temporum et colli venæ cæruleæ et prominentes, oculi lyncei et acuti. Sed res non ita ſe ſemper habent; nam quidam et lentioris ingenii et corporis debilis vultuſque pallidi eo laborare ſolent: obſervatum eſt quo robuſtiores fuerunt pueri, eo violentius morbum impetum feciſſe, et progreſſum in adultis quam in infantibus rapidiorem fuiſſe.

Hydrocephalus dicitur impetum feciſſe poſt febres intermittentes, rheumatiſmum, phthiſin pulmonalem, pertuſſim, variolam, rubeolam, ſcarlatinam, dentitionem, paralyſin, dyſenteriam, repercuſſam capitis tineam, veterum ulcerum ſanationem: Hi igitur morbi pro cauſis recenſentur, quæ indirecte * agunt.

Jure, fortaſſe, pro causâ habetur verminatio a clar. RUSH †: "Notwithſtanding the "diſcharge

* RUSH's Med. Inquir. vol. ii. p. 211. &c.

† Ibid. p. 214.

" diſcharge of worms gives no relief in this " diſorder, yet there is good reaſon to be- " lieve, that it has in ſome inſtances been " produced by them."

Inter cauſas autem, quas vocat *directas* auctor * citatus, longe frequentiſſima eſt ictus capiti illatus; ſed præter hanc aliæ enumerantur quæ huc referri debent, inſolatio ſc. exercitatio immodica, frigus: exemplum memorat Dr PERCIVAL † puellæ ſudore perfuſæ, quæ cyathum aquæ frigidæ potavit, et ſtatim inde dolore capitis gravi, a cæteris hujus morbi ſignis brevi ſecuto, correpta eſt. Haud raro autem nulla prorſus cauſa notari poteſt.

CAUSA PROXIMA. — Quoniam ne unius quidem morbi quo corpus humanum laborare ſolet, naturam veram et cauſam, ut vocatur, proximam pro certo compertas habeamus, minime

* Ibid. p. 211. † Med. Facts.

minime mirandum eſt cauſam hujus morbi proximam parum accuratè vel diſtinctè nobis noteſcere; notitia enim imperfecta admodum quam de cerebri et nervorum actione (ſi ita loqui liceat) habemus, et de modo quo variæ corporis functiones ab iis pendent, dubitationem et caliginem eorum morbis obducit. Analogia judicantes plurimi auctores hunc morbum ab iiſdem cauſis quibus et alii hydropes oriri putarunt, ruptis ſc. lymphaticis vaſis, exhalantibus laxatis, bibulis debilitatis et morbis antecedentibus cachexiam et ſanguinis tenuitatem atque pauperiem producentibus: ſed has cauſas potius ſequitur hydrocephalus chronicus, ab aliis hydropis ſpeciebus naturâ parum diſcrepans. Exiſtimat PERCIVAL hydrocephalum acutum ſæpiſſime ab obſtructionibus oriri, et cadaverum ſectiones hanc rem comprobare; et profecto minime negandum eſt tumores in cerebro, quorum modo mentionem fecimus ſpeciem chronicam gignere poſſe, eodem modo quo hepatis alio-

rumve

rumve viſcerum tumores, aſciten. Rejectis his omnibus, reſtat ut quædam de Doctoris QUIN opinione dicamus: hic auctor *, cauſis morbi evidentibus et phænomenis primi ejus ſtadii attente conſideratis concludit cauſam proximam eſſe vaſorum cerebri inflammationem. In hanc opinionem adductus Dr RUSH morbum hunc *phreniculæ* † nomine ſignavit.

Ut huic ſententiæ accedamus, ſuadent cauſa concitans longe frequentior, morbi incipientis phænomena et ſectiones cadaverum, quorum poſt omnia ſigna hydrocephali acuti jam incheati nullum interdum fluidum in cerebri ventriculis inventum eſt, ſed vaſa omnia ſanguine valde turgida fuerunt: hinc concludere licet laticis effuſionem, in iis qui poſt morbum diutius perſiſtentem ſuccubuerunt, inventi, hunc ſtatum vaſorum inflammatum ſecutam eſſe et pro cauſa agnoviſſe.

Contra

* Theſ. de Hydroc. Acuto, Edin. 1779.

† Med. Inquir. vol. ii. p. 215.

Contra hanc opinionem contendit Dr PERCIVAL, infantes ſcrofuloſos præcipue hoc morbo corripi, in his tamen parum veriſimile eſſe diatheſin exiſtere inflammatoriam. Huic argumento reſpondi poteſt, non ſolum robuſtos, ſed etiam debiles et macres inflammationi obnoxios eſſe; hoc docent exempla quædam pneumoniæ, ophthalmiæ, phthiſis pulmonalis et demum ſcrofulæ. In infantibus porro magna caput verſus eſt ſanguinis determinatio: "The peculiar ſize and texture of the "brain ſeem to invite the inflammation and "effuſion which follow debility to that or-"gan in childhood, juſt as the peculiar ſtruc-"ture and ſituation of the lungs invite the "ſame morbid phenomena after the body has "acquired its growth in youth and middle "life *."

Si hanc de morbi naturâ veram eſſe opinionem concedatur, facile reddere poſſemus

* RUSH. Oper. ſupra citat. p. 215.

QUORUNDAM RATIONEM SIGNORUM.—Anorexia, nauſea et vomitus oriuntur a miro illo conſortio prorſus inexplicabili, quod ventriculum inter et cerebrum intercedit, unde omnes fere hujus morbos illius affectio comitatur. Lucis intolerentia auctæ retinæ ſenſibilitati tribuenda eſt, quæ potius oritur a ſtatu vaſorum cerebri inflammato, ut in phrenitide, et aliis febribus quibuſdam, quam ab humore in ventriculis thalamos nervorum opticorum comprimente, et irritante, ut Dr WHYTT ſuſpicatus eſt; ab eodem pendent vigilia et dolor capitis acutus.

Febris in principio adeſt in hac ut in aliis inflammationibus, quod vaſa cerebri diſtenta irritationem toti ſyſtemati ſanguifero communicant: Sed ſecundo ſtadio incepto, aqua nunc prius effuſa cerebri muneribus obſtat, et ſigna quædam a primo ſtadio prorſus aliena producit. Retina nunc inſenſilis fere evadit, et pupillæ dilatantur, nec luce accedente ſeſe contrahunt ob aquam effuſam nervos opticos compri-

comprimentem: compreſſo etiam cerebro vel potius cerebri vaſis, ſupervenit coma; totius adeſt corporis languor, et cor vi ſuâ nervosâ, aliqua ſaltem ex parte, privatum ,irritabilitatem amittit, et hinc pulſus tardus fit et inæqualis. Par eſt ratio cur reſpirario tarda fit, intervallo ſolito longiore poſt expirationem interpoſito: huic aliquod accidit haud abſimile in ſomno conſueto, in quo, ut in hoc morbo, cerebri muneribus quodammodo impeditis, muſculi inſpirationi inſervientes ad actionem non incitantur, donec moleſtiæ vel ſuffocationis ſenſus urget. Quod ſignum omnium habetur explicatu difficillimum, id eſt pulſûs in tertio ſtadio aucta celeritas; nam ſi ex cerebri compreſſione pulſus naſcatur tardus, nonne aucta compreſſione tardior adhuc evadere debet? Hic dicere ſufficiat, pulſum ſemper fere accelerari paulo ante mortem; et idem videri poteſt non ſolum in hoc ſed in omnibus morbis comatoſis, ut in febribus nonnullis, in apoplexiâ; et ſi concedere lubeat vires natu-

ræ medicatrices hic aliquid agere poſſe, certamen eſſe mirum in corpore, et omnes ejus poteſtates ad actionem cieri ad vitam tuendam credere licet : ſed de his viribus nobis non ſatis liquet.

Prognosis—in omni exemplo anceps eſt ; et plorandum eſt artem humanam remedia contra plurimos et præcipue hunc morbum ſatis efficacia non inveniſſe. Sed haud leve eſt ſolamen, ſpes noſtras quam anteceſſorum minus aſperas eſſe ; hi enim remedia adhibuere hâc cum ſolâ ſpe, ſe nempe quod ad morbi naturam inſtantis erraſſe ; ex viginti caſibus ne unum quidem convaleſcere vidit Dr Whytt : eademque fortuna ei cum Dre Watson aliiſque communis fuiſſe videtur. Sed ſi fides Doctori Percival habenda eſt, prognoſis minus infauſta noſtris diebus videtur. Ex viginti qui hoc morbo correpti ſunt undecim convaluiſſe invenit.

Quo

Quo diutius perſtitit morbus eo majore periculo verſatur æger; ſtupor et coma ſigna ſunt infauſtiſſima; et ſi adveniat ſtadium tertium cum pulſu debili et frequenti, raro valet ars noſtra, et brevi perit æger. Tamen haud deſunt exempla ſanitatis reſtitutæ poſtquam adfuerunt ſtupor et coma gravis; et Dr Duncan clar. unum memorat caſum ubi æger poſt tertium ſtadium inchoatum convaluit. Fauſtus ſperandus eſt eventus, quum vomitus, nauſea, capitis dolor, lucis intolerantia, et pulſus frequentia minuuntur, ſi modo hic æqualis ſit et corporis calor imminutus.

Curatio.—Plurimum forſan prodeſſe in principio poteſt ars noſtra: "Nulla igitur "moræ occaſio neque cunctationis, ſed valida "medicatione opus eſt." Incipiente igitur morbo, ſi dubia de ejus natura ſint, urgentibus vomitu, alvi aſtrictione, capitis dolore et pyrexia, emeticum detur, probe adhibitâ autem curâ ut nec violentius ſit nec repetatur;

ex

ex vomitu enim vehementi cerebri inflammatio plurimum augeri poteſt, detrimento cum irreparabili. Catharticum dari etiam debet ut moveatur alvus; et vermibus et hydrocephalo maxime convenit calomelas. Si ab his medicamentis nullum paretur auxilium, ſi magna adſit alvi obſtipatio amplâ vel modicâ doſi non ſuperanda, tunc adeſſe hydrocephalum ſuſpicandum eſt, et ad omnia remedia, quæ inflammationi in capite obviam ire poſſint, confugiendum eſt. De his pauca dicere pergemus.

Sanguinis detractio ægri ætate, conſtitutione, corporis robore et morbi ſignis dirigi debet; at ſi puer antea ſanus et robuſtus ſubito corripiatur, ſtatim ſanguis debet e brachio vel capite, ſectâ ſc. vena jugulari vel arteria temporali, prout res poſtulent, mitti; et profecto niſi primâ miſſione remiſerint ſigna, iterum, ſi ſinant vires, iterumque. Liberam ſanguinis miſſionem plurimum collaudat Dr Rush, et hoc modo morbum ſæpe curſu interrumpi

terrumpi affirmat. Si autem debilis ſit et macilentus æger, vel ſi ſanguis e brachio jam ſatis large miſſus fuerit, tum minor quantitas e capite detracta, admotis cucurbitulis cruentis vel hirudinibus, magis auxilii adferre poteſt.

Aliquod paratum eſt levamen catharticorum validiorum uſu; ex his jalappa, calomel, &c. ubertim devorari debent; et per totum morbum curetur ne alvus ſit compreſſa.

Veſicatoria multum utique levamenti afferunt: In quolibet igitur ſtadio, abradatur ſtatim capillitium et totum caput, impoſito ei veſicatorio exulceretur, et poſtea fonticuli vel ſetacei ope ſeri fluxus eliciatur.

Sudoris profluvio, vapore tepido elicito, unus prorſus ſanatus eſt æger *; hoc igitur promoveatur vapore tepido, fomentis, pediluviis vel medicamentis devoratis, velut pulvere ipecacuanhæ compoſito.

Frigus

* Med. Comm. vol. viii. p. 106.

Frigus capiti admotum, aquâ frigidâ vel aceto, &c. lavando, ſive pileum luteum induendo, beneficio eſſe poteſt *.

An à pediluvio frigido auxilium tuto peti poteſt, in dubio verſamur : " Cold, when ap-
" plied to the feet, as certainly reduces the
" pulſe in force and frequency, as warm
" water, applied in the ſame way, produces
" contrary effects upon it †." Jacere debet æger humeris levatis, ut impetus caput verſus præcaveatur.

In ſecundo ſtadio errhina et diuretica adhiberi ſolent, parvo licet cum fructu. Nonne digitalis purpurea in hujus morbi ſtadio primo, ut et in aliis inflammationibus prodeſſe poteſt, ſi modo talis devoretur quantitas, qualis pulſus frequentiam minuat ?

Electricitas, quæ in quibuſdam caſibus abſorptionem promovere dicitur, in auxilium vocetur.

Omnia

* Rush. Oper. citat. p. 219.

† Rush on the Yellow Fever, p. 287.

Omnia inter remedia eminet hydrargyrus; boni ejus effectus viribus iis, quibus obſtructiones amovendo, exinanitiones et abſorptionem promovendo pollet, tribuuntur. Dr PERCIVAL * nos certiores facit hydrargyrum æque prodeſſe, utrum ſalivatio excitetur, necne: hoc autem vetat Dr HOME † clarus, qui afferit beneficia ab ejus uſu derivata, magna ſaltem ex parte, a ſalivæ fluxu excitato pendere. Hanc opinionem olim habuit CULLENUS. Utcunque hæc ſe res habeat, hoc ſaltem certum eſt, nonnullos, quibus ſalivæ fluxus mercurii ope elicitus fuit, periiſſe, ‡ dum contra alii, qui ſignis iſtiuſmodi laborarunt, nulla gingivarum vel ſalivæ glandularum affectione excitata, convaluerunt §. Probabile tamen videtur

* Med. Facts and Obſ. vol. ii. p. 117. Med. Comm. vol. xii. p. 298.

† Prælection. de Med. Clinic.

Med. Comm. vol. v. p. 174. Ibid. vol. xi. p. 298.

§ Med. Comm. vol. viii. p. 325. Ibid. 333. vol. ix. p. 240, Med. Facts, vol. i. p. 118.

ptyaliſmum aliquid ad morbi curationem conducere.

Hic notandum eſt, ſalivam in hoc morbo movere valde difficile eſſe, et nonnullos teneros infantes ſtupendam hydrargyri quantitatem, vix a priori credibilem, devoraſſe, ſine ulla faucium affectione aut alio effectu notabili. Puero tres annos nato Dr LEIB * hydrargyrum mur. mit. a grs. 16 ad 20 quotidie adhibuit. Ubertim igitur porrigi debet hydrargyrus, et vel ore devorari poteſt, vel unguento commiſtus infricari. Una cum mercurio plurimum prodeſſe exiſtimat † Dr PERCIVAL alia et remedia dare, veluti opium, moſchum, ſalem cornu cervi, zincum uſtum, ſcillam, veſicatoria, &c. pro caſus circumſtantiis, et aſſerit, ex quo tempore hunc modum eſt ſecutus, eum ſpem rarius quam antea fefelliſſe.

Si

* Tranſ. of the College of Phyſicians, Philadelphia, vol. i. part. i. p. 49.

† Med. Facts, vol. i. p. 112.

Si valde urgeant dolores, opium frequenter et large devorari poteſt ; at ſi æger coma affi-ciatur, aliquid periculi præ ſe ferre dicitur.

Sed plerumque morbo venienti occurrere facilius eſt, quam jam adſtanti mederi. Si igitur ad hunc morbum appareat proclivitas, et præſertim ſi ejuſdem ſobolis antea correpti fuerint infantes, determinationi caput verſus, modica, caute autem evitata nimia, corporis exercitatione, diæta idonea, laxantibus remediis mitibus, ſed ante omnia ſetaceo vel fonticulo juxta caput, obviam eundem eſt. Horum uſus tempeſtivus, antequam morbus adhuc perfecte confirmatus eſt, quoſdam ſalvos præſtitiſſe viſus eſt, quorum fratres et ſorores eodem morbo periere *.

* Gregory Prælect. de Med. Pract.

FINIS.

CORRIGENDA.

P. 2	l. 19	*pro* Arætei	*lege* Aretæi
5	1	æquo	æque
—	—	fæminas	fæminis
—	3	tempori	tempore
—	17	unam	unum
7	3	indenditur	intenditur
—	12	linqua	lingua
26	6	intolerentia	intolerantia
27	6	reſpirario	reſpiratio

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

HEPATITIDE.

PROOEMIUM.

ALIQUOT annos in plagis ubi pulchra morbos tropicos obſervandi occaſio mihi data eſt, commoratus; paucula de hepatitide ex proprio penu, et experientia, potius quam ex aliorum ſcriniis compilatis, deprompta, in vulgus edere, ſatius duxi. Primo quidem, non ſolum *vetuſtae*, ſed etiam *acutae*, hepatitidis

 hiſtoriam

hiſtoriam fuſius tractare animo mecum decreveram; hujus vero hiſtoriam plenam et accuratam ultra diſputationum inauguralium limites longius excurrere, comperto; phaenomena ejuſdem notatu digniora, quae ab his, quae ſub coelo mitiori ac frigidiori obſervanti occurrunt, aliquatenus mihi diſtare videbantur, leviter perſtringere ſatis habui.

DEFINITIO.

Dyſpepſia, facies lurida, ſubflava, tumidiuſcula; gravitatis, ac plenitudinis ſenſus, cum epigaſtrii et hypochondriorum, praeſertim dextri, doloribuſque, plus minus moleſtis, alternans, compreſſiuncula vel decubitu in latus ſiniſtrum, auctis; dolor ad claviculam, et ſummum humeri dextri, aliquando vero ſiniſtri; ſaepe dyſpnoea, tuſſis ſicca, dejectiones olidae; febricula, praeſertim veſperi ingruente.

HIS-

HISTORIA MORBI.

Hepatitis vetusta est vel *primaria*, vel ab alio morbo pendens, *symptomatica:* nullusque forsan ex omnibus, quibus gens humana opportuna est, morbis, majorum signorum varietate, saltem initio, stipatur; adeo ut non solum medicum, sed etiam aegrum ipsum inauspicatum saepius subdole fallat; quippe qui omnia sua stadia, nemine suspicante, donec tandem strages horrenda quam ediderat, *anatomici* cultro detegatur, larvatus percurrat.

Saepe initio, dyspepsiae signis, flatu, plenitudinis, inflationisque ventriculi sensu, praecipue post pastum; ructuque vario, praesertim acido, carpitur aeger: cibi appetentia varia, nunc fastidium, nunc insolitum comedendi desiderium urget, cui si forsitan indulgeatur, omnia signa ingravescunt: et tanta est ventriculi debilitas, ut cibus vix aegre concoquendus, crudusque, diutius ibi subsistat.

Simulque

Simulque vultus insigniter mutatus, facies subfusca, pallidaque turgescit, oculique nitore suo spoliati, hebetes obscurantur, tunica conjunctiva colore lurido, et aliquando subflavo tincta.

Nec non eodem tempore in regione epigastrica molestiae sensus ad hypochondria dextra usque lancinans emicat; hunc aeger hallucinatus, ventriculi affectionem plerumque falso existimat: hicce dolor pressu ingravescit, ad claviculam, et summum humeri dextri tendere, et cum consimili dolore hic loci alternis vicibus torquere percipitur.

Aeger pariter languore, lassitudine, omnisque conatus fastidio, et aliquando ineluctabili dormiendi desiderio afficitur: somnus vero brevis aegri vires quassas raro reficit, saepiusque diris insomniis misere abrumpitur.

Animus tristis gravi moestitia, frequentique suspirio fractus, omnium consortium delectamentaque fugit, et solitudine, sorti suae miserae illachrymandi causa, uti amat.

Ineunte

Ineunte hepatitide primaria, alvus plerumque dura, morbo vero provecto, pariterque per totum hepatitidis ſymptomaticae, ſibi non conſtat, nunc aſtricta, alias ſoluta; plerumque vero dejectionibus frequentibus, foetidis, exiguis, mucoſis, et abdomine nonnunquam tumido, ac tenſo ſtipatur.

Eſt ubi nullam fere ſubit mutationem pulſus, neque validior, neque frequentior, imo aliquando praeter naturam tardus; interdum vero, progrediente morbo, frequens ac debilis, veſperi praeſertim micat. Lingua albida, ſicca, villiſque obducta; cutis arida, dura, atque conſtructa, urina parca, colorata; reſpiratio plerumque ab initio laeſa; morbi vero progreſſu, et finem verſus, plus, minus, laborat; ſaepe comite tuſſi ſicca, rauca, atque ſonora, lateris dolorem adaugentes. Gingiva exploranti ſolito durior interdum ab initio videbitur.

Eſt ubi humeri affectio prima in medium prodit, aegro lateris dolorem nondum conqueſto:

queſto: interdum vero penitus deeſt; ſaepe tamen licet aegri ſenſum latuerat, humerum premendo ſuſcitaveris.

Morbo hucuſque provecto, ponderis ac plenitudinis ſenſum, primo in epigaſtrio, hypochondriiſque, perceptum, dolores hebetes, obtuſi, morſuſque acerrimi, quaquaverſum vellicantes, nec mora, magis diffuſi, harumque partium majore minoreve, duritie, ac tumore ſtipati, levique compreſſiuncula ingraveſcentes, alterne excipiunt.

Decubitus in utrumvis latus, praeſertim in ſiniſtrum moleſtus; aegrotus ſupinus, humeris leniter acclivibus, dextrorſumque paululum vergens, dolore minus afficitur.

Spiritu multum turbato, dolores inſtar pneumonicorum, quacum interdum, rarius licet quam hepatitide acuta, conjungitur, citro retroque pectore feruntur: ſingultus ac vomitus rarius in vetuſta, ſaepius vero in hepatitide acuta graſſantur. His ſignis interdum forte conjungitur icterus; non vero neceſſa-

rio,

ro, comesque indivulsus, ut quibusdam placuit.

Haec signa varie durant: nunc diutius, alias vero ocyus, velociter ingravescentia, febricula praesertim vesperi, sudoribus nocturnis, macie, viribus fractis, ventrisque proluvie putrida, ac fastidium movente, stipata, stadia sua percurrunt; aegerque febre *hectica*, ex uno, pluribusve abscessibus, intra hepar aliove, qua data porta ruentibus, oriunda, e medio tollitur.

Hoc modo plerumque adoriens, progrediensque, finitur hepatitis: facile vero collegeris, impetum, signaque futura, non solum pro principii diversitate, agendi modo atque vi, corporis statu, adeo fieri posse diversa, ut vix unquam in binis, nedum in pluribus aegris, eadem sit.

Ex supra dictis signis quaedam penitus desunt; quaedam vero magis obscura, quae proxime delineanda sunt.

Frequentes

Frequentes alvi dejectiones, exiguae, mucosae, et acres, ventrisque tormina abnormia, atque tenesmus inter prima nonnunquam notantur; vultus vero, his nondum subortis, diligentius observanti, a sanitate deflexisse, morbidus, mutatusque, videbitur. Interdum vero aegrotus, nullum dolorem conquestus, cibi fastidio, macie, viribus tum animi tum corporis, fractis, vegeto simul oris colore amisso, tandemque diarrhoea putrida, febreque *hectica*, quae omnia nullatenus a jecore laborante pendere suspicanti exitium afferre valeant, corripitur.

Hoc malo laborantium, dorsa, humerique, quod notatu dignum, saepe antrorsum convexa sunt; vitiumque morbo progrediente in pejus ruit; pectusque simul a forma sua deflexum, insigniter, praeter naturam, deformatur.

Est ubi morbus Pyrexia abnormi, incertis intervallis accedente, calore intenso, siti, pulsu debili, parvo, interdumque enormi, adoritur:

et

et licet caloris, moleſtiaeque ſenſus, circa epigaſtrium, hypochondriaque dextra ſimul torqueant; cum tamen in aliis pyrexiis ſimilia ſigna adſunt; magnum curriculi ſui ſpatium nondum in ſuſpicionem adductus, inſidioſe decurrit.

Datur febrium intermittentium varietas, Indiae montium indigena; indeque, febris montoſa, nuncupata, quae ex jecinoris praeſertim lobi ſiniſtri, vitio pendet, cuique viribus hydrargyri ſolis medetur.

A chirurgo clariſſimo ſpectatae fidei apud Bombay, tria hujuſce febris, quae ſibi obſervaſſe contigerat, exempla, ingenium aſthmatis induiſſe, remediiſque huic malo idoneis aliquandiu fruſtra tentata, tandem hepatitidis ſignis ſuborientibus, hydrargyro feliciter profligata fuiſſe; morbumque, qui uni ex aegris eadem forma rurſus acciderat, eidem remedio, ſicuti antea, denuo ceſſiſſe, certior factus ſum.

Hepatitis, moribus nonnunquam mutatis, lento vixque percipiendo pede, vel, cauſa ali-

qua incitante fortius agente, ex vetusta in acutam subito mutatur: utrum vero haec acuta, an potius vetusta gradu solummodo diversa, antiquo nomine servato, vocanda est, anceps haereo.

Vetustam quidem saepe ex acuta oriri contendimus; licet scriptor, qui non ita pridem tractatum publici juris fecit, vetustam fere semper, morbum primarium esse, ponat: hoc equidem aliquando evenire, supra jam concessum est: semper vero fieri, non solum propriae, sed etiam clarissimorum medicorum, quos saepius, data occasione, consului, experientiae, repugnat. Idem auctor in sua morbi historia, stadium acutum describit; hoc tamen in ratione medendi oblivisci, saltem remedia praestantiora, medicorum praeclariorum usu comprobata, penitus praetermittere videtur. Quam statuit, medendi rationi, vetustae, utpote huic satis idoneae, limitibus circumscriptae, facile; acutam vero ex aequo complectenti, generalive morbi divisioni, qua puris generationem

nerationem ex acuta ſola pendere ponit, minime aſſentiri queo: nam ex alibi confeſſis, auctor jecur omnia morbi latitantis ſtadia, nemine ſuſpicante, tacite percurriſſe, incidendo repertum eſt.

Hujus mali exempla, commentariaque in vulgus a clar. Doctore CLARK, apud Antiguam edita, magis experientiae noſtrae, cognitionique, quam aliunde conſequi valueram, quam ulla alia, quae ſuper hoc gravi argumento addiſcendi occaſio ſe mihi obtulit congruere, hic loci obſervari vellem; lobumque ſiniſtrum tentari, abſceſſuſque hepatis inter ſe diſtinctos, ſaepius in India Orientali, quam Occidentali, reperiundos; cum hujus unicum tantum exemplum Doctori vidiſſe contigit.

Infauſtis hujuſce mali victimis ſaepe evenit, ut medicum, non niſi abſceſſu, apice acuminato, foras erumpente, accerſant: interrogantibus vero reſpondent, ſe ante hoc morbo detentos, doloribus hypochondriorum, febre comitante, plus minus laboraſſe; domi vero

manendo

manendo, laxantium refrigerantium uſu his ſignis levatos fuiſſe. Hoc infimae ſortis indigenis, qui cauſis remotis perpetuo objiciuntur, obtingit, quique ob dietam tenuem ex vegetabilibus praecipue confectam, morbo lento, vixque ſentiendo miſere carpuntur; ſolitis negotiis impliciti, totas ſeptimanas, imo menſes obambulant, neque medici manum, niſi dolore coacti implorant: inde fit, quod morbus, cauſis incitantibus de novo agentibus, lente, ac pedetentim ſuppuratione tacite recidivus finiatur.

Hepatitis aliorum morborum ſaepenumero comes, aut ſignum; huic vero febres intermittentes, ac remittentes, dyſenteriaeque minus bene curatae, praeſertim fundamenta ponunt; et ſane vix Indiae datur morbus, qui ad illam plus minus procliviores non reddat: hique morbi diverſi, remediaque, quibus medetur, in qua omnis culpa transfertur, vitia hepatis latitantia in lucem ſaepe proferunt.

Hos

Hos morbos, uſitatis remediis non cedentes, e jecinore oppilato ſaepius pendere compertum eſt: huic rei innixi hydrargyro, auxilio potentiore, et forſitan ſolo plerumque fere utuntur medici.

Morbi progreſſus eſt admodum diverſus; nunc curriculum ſuum, intra paucos dies, velox percurrit: alias vero hepar ſeptimanas, imo menſes, vel etiam annos, nulla cauſa validiore incitante, lente morbidum marceſcit.

Jamque hepatitidis vetuſtae hiſtoria, qua potuimus, cura, ac diligentia, tradita, quaedam de inſignioribus acutae phaenomenis, animadvertenda ſunt. Haec aeque ac illa regionibus calidis gaudet; licetque, ineunte morbo, ſigna ſatis clare plerumque notentur; aliquando tamen, ut vetuſtae etiam evenit, adeo obſcura, et ſubdola ſunt, ut quam maxime in arte verſatos ſubterfugiant.

Aegrum nunc pyrexia violentiore, bilis vomitione, atque ſingultu, vi deripente, aggreditur; alias vero ſignorum enormium catervam

lateris

lateris affectio excipit. Haepatitiden graviorem, praeeuntibus aliquot dies generalibus rheumatiſmi, praeſertim articulorum majorum, doloribus, qui tandem humerum dextrum correptum, triduum jecinoris affectione nondum ſensâ, immane torquebant, mihi obſervaſſe obtigit. Hujuſce aegri humerus ſiniſter, ſternumque medium dolore graviore laborabant; lobuſque ſiniſter princeps inflammationis ſedes videbatur.

Dolor hicce ſingularis humerum, claviculamque ſubtus angens, interdum primarium, et ſaepe morbi decurſu ſignum importunius eſt, toto brachio ad digitos extremos uſque, quos torpore, doloreque immobiles reddit, pertingens: idem, at mitior angoris ſenſus lateris affecti femore ac crure aliquando ſentitur. Thoracis tegumenta dextri, praeſertim ſupra infraque claviculam, ineunte morbo, leviori compreſſiuncula, dolore longe alio ab illo qui, morbo provecto, cum ſuppuratio haud dubie adeſt, affecta, ſemel obſervavi.

Hepatitis

Hepatitis acuta non ſolum gravioribus, quam vetuſta, illave, quae coelo frigido, mitioreve ſubnaſcitur, graſſatur, ſed etiam multo majore velocitate curriculum ſuum abſolvit. Dyſpnoea inſigni, tuſſi importuna, doloribuſque pectus circumcirca peragrantibus, acuto ſimul humerum, claviculamque ſubtus angore torquente; convexam hepatis ſuperficiem potiſſimum affici; inflammationemque non ſolum ad mediaſtinum, pleuramque coſtarum, ſed etiam in pulmones prorepſiſſe rite collegeris. Tametſi in quibuſdam morbi gravioris exemplis, haec ſigna, hiſce partibus ſalvis, occurrant, illas vero plerumque plus minus ſemper laborare, facile adducor, ut credam: cumque quo major eſt pars, eo periculum ſit quoque majus, ad hoc animum ſtudioſius in uſu advertere neceſſe eſt.

Diaphragma interdum tanta cum immanitate afficitur, ut aegrum incurvum, et quaſi arcuatum, genibus cubito innixum, quo ſolum-

modo

modo dolore levabatur, conſpexerim: hic plerumque torquet ſingultus.

Alvus interdum adeo aſtringitur, totuſque tubus inteſtinalis tanto torpore corripitur, ut, bile, licet copioſius, ut hinc patet, quod aeger, vomitione bilioſa ſaepius torqueatur, fluente, cathartica fortiora neceſſaria ſint.

Hepatitis acuta maxima ex parte, ſed non ſemper, credo, ſuperficiem hepatis convexam, vetuſta vero ſemper *parenchyma*, ſive ipſam jecoris ſubſtantiam, ſedes ſibi vindicant: in hoc abſceſſus plures, vel ſecum invicem communicantes, vel inſtar favi, inter ſe diſtinctos reperire eſt: jecinoriſque ſuperficie integra licet et ſalva, abſceſſus hoſce tamen ſaepenumero in parenchymate inventos, ſectione cadaverum monſtratur.

De usitatioribus MORBI Terminis.

Hepatitis, reſolutione, et ſuppuratione, raro vero gangraena, finitur: utrum calidarum

hepatitis

hepatitis plagarum ſchirro vero unquam excipiatur, vehementer dubito.

Quando reſolutione, omnium terminationum benigniore, clauditur; hoc plerumque bilem ſurſum, deorſumque praeſertim copioſe evacuando evenit; omniumque praecipue in vetuſta ſalutis recuperandae ſignorum certiſſimum eſt; partis enim laborantis vaſorum, quorum debilitatem, cauſam mali proximam poſtea ſtabilire conabimur, vim aliquatenus inſtaurari probat: canalis enim alimentarius ſolito ſtimulo diutius orbatus, eadem bilis quantitate, qua, ſalva ſanitate, ad motus placidos et naturales, jam ad abnormes peragendos, ſupra modum ſtimulatur.

Sudores univerſales profuſi, urinae ſecretio, ſedimentum copioſe deponentis, adaucta, aegri tuſſi antea laborantis excreatio libera ac copioſa; ſanguinis e naribus, anove fluxus, dejectiones mucoſae, et ſuperficiei jecur exudatio, partibus vicinis agglutinans, hunc morbi finem alia alio tempore comitata ſunt. Exu-

dationem vero acutae propriam, hujuſce reſolutionem plus minus ſemper ſtipare, facile adducor ut credam: pleroſque enim, qui ex hoc modo finito morbo convaluere, decubitus in latus ſiniſtrum difficilis, moleſtiaeque ſenſus, quovis niſu ſubito ſuſcitatus, quae, nec injuria in hanc agglutinationem conferuntur, toto vitae curriculo fatigant.

Quando vero ſuppuratione, quae ſemper periculoſiſſima habenda, terminatur, vel uno, pluribuſve abſceſſibus, viam foras, in thoracem, pulmoneſque, in ventriculum, vel in inteſtina, per bilis ductus, vel conglutinatione et eroſione juvantibus, vel denique in cavum abdominis ſibi patefacit; ex omnibus hiſce, ſi extremum excipias, non defuere, qui convaluerunt.

Hic vero animadvertendum, ſuppurationem adeo lentis vixque aegre percipiendis gradibus ſurrepere, ut morbus etiam in artis noſtrae uſu quam maxime verſatis fidem faciat, ſe reſolutione fuiſſe depulſum: dolore enim inſig-

niter

niter remittente, vel penitus una cum caeteris ſignis, ut ſaepe evenit, ceſſante, aeger ſanitatis deſiderio flagrans, medicuſque ſe morbum debellaſſe facile credens, in hunc errorem nullo fere nogotio inducuntur: hinc fit, ut non ſolum remedia praeſtantiora praetermittantur, ſed etiam, citius aut ſerius, tumore foras erumpente, febrique lenta, ex abſceſſu interno, pureve viam ſibi in partem internam ſternente, ſuborta, miſere ſpe ſua fruſtrati decidant. Ad ea quae conſequuntur animum attendendo ab hoc erroris fonte plerumque cavebitur. Si doloris remiſſio, aut ceſſatio aliqua evacuatione critica, non ſtipetur, ſi ſanis oris color non reſtituatur, ſi functiones generales debiliores ſint, ſi denique decubitus in latus ſiniſtrum ſit difficilis, et quo longius in hoc cubatur, eo, pro rata parte, decubitus ſit gravior, moleſtia in ponderis ſenſum, tandemque in dolorem graviſſum deſinente, febricula ſimul, horrore levi, ac abnormi ſtipata, praeſertim veſperi ingruente, ſcrupuloſe ac timide

de

de eventu praeſagiendum eſt; plerumque enim ſuppurationem inſtare, aut jam nunc exiſtere comperiemus: ſi reliquorum ſignorum nulla, quae duces ſequamur, adſint, ac etiamnum ancipites hereamus, aegrum in latus ſiniſtrum collocatum, diutiuſque ſic recubantem interrogando, de ſenſu quo afficitur, utrum inflammationi ſupervenerit ſuppuratio dijudicare potuerimus. Ad hanc rem animum altius advertendum volo, quippe qui medicos longa licet annorum ſerie edoctos, in hunc errorem incidiſſe probe noverim. Quique egometipſe in uno exemplo tametſi qua potui diligentia ab hoc erroris fonte cavebam, morbum reſolutione finitum per aliquot dies, credulus, opinatus, cito me toto coelo erraſſe compererim: abſceſſus enim aliquanto poſt, via ſibi in pulmones patefacta, aegro exitium attulit.

De Cadaverum Sectione.

Strages horrenda atque phaenomena, quae cadaverum ſectione manifeſta fiunt, varia et multiplicia ſunt; horum autem pauca tantum brevitatis cauſa annotabimus.

Quatuor exemplis, quae mihi perſcrutandi occaſio ſe obtulit, quibuſque in pulmones abſceſſus viam ſibi ſtravit, puſque aliquandiu ante mortem excreatum fuit, quae ſequuntur, notata ſunt. Omnibus pulmonum ſubſtantia plus minus exeſa; tubique bronchiales pure ſanguinolento excreato haud abſimili, infarcti fuere; pulmo dexter pleurae ſpatio ſatis amplo, praecipue circa foramen diaphragmate eroſum, quod tribus digitis intromittendis par erat, agglutinatus eſt: hoc circa foramen plurima dura, mole diverſa, quae cultro ſecta, ſchirrum ſpecie, duritieque referebant, reperta ſunt. Horum uno pneumonia ab initio comitante, partes conglutinatae latius pa-

tentes,

tentes, arctius; lobus vero ſiniſter quibuſdam locis laxe adhaerere; pericardioque ſeri libra flavi reperta: huic miſerando pariter lobum ſiniſtrum abſceſſus tentabat, unde pus quatuordecim diebus ante obitum exivit, quique velociter ad ſanitatem, donec alter dextri lobi in pulmones irruperat, ſpectabat; omnibus veſicula fellis viſcida bile diſtenta, ſuperficies per aliquod ſpatium diaphragmati, in uno pariter reni dextro praeter naturam adhaereſcere: diaphragmatis tendo omnibus foramine exeſus. Jecoris ſuperficies nunc maculis lividis diſtincta eſt, nunc vero ſalva intacta manet: nec datur viſcus vicinum, cui aliquando agglutinatum non reperiatur. Veſicam fellis, biliſque ductus nonnunquam inflammatione tentari liquido conſtat: ductumque communem choledochum inflammatione tantum non deletum, mihi vidiſſe obtigit.

Pleraque viſcerum abdominalium morbi veſtigia ſubinde oſtendunt: meſenterii glandulae tumore, ac duritie, praecipue *vetuſta*,

dyſenteria

dyſenteria ſatellite, diutius laborantibus afficiuntur. Splenem quoque morbo tentari, et diaphragma maculis lividis aliquando diſtingui compertum eſt.

DIAGNOSIS.

Morbi quibus hepatitis acuta confundatur pneumonia, gaſtritis, affectus coli ſpaſtici, muſculorumque jecori vicinorum dolores rheumatici numeranda ſunt: primae nonnunquam conjungitur; cum vero pulmones, ipſorum, coſtarumve pleura, non tentantur; ſequentibus rite perpenſis diſtingui poterit: a pneumonia, humeri claviculaeque ſubtus dolore, qui plerumque ſemper hepatitidem acutam comitatur, abſente ſecerni poteſt.

In pneumonia dolores celſiores, latiuſque patentes lancinant; dyſpnoea et tuſſis importuniores; excreatio copioſior et interdum ſanguinolenta, decubituſque in latus affectum difficilis: contrarium vero in hepatitide evenit; huc pariter accedit quod, in India Orientali,

pneumonia

pneumonia primaria rarius occurrat; neque magni refert hic paululum erraſſe; cum utrique morbo ineunte eadem fere remedia idonea ſint.

Debilitas inſignis, anxietas, in epigaſtrio dolor et ardor, ingeſtis quibuſlibet auctus, iiſdemque protinus rejectis, humerique dolor abſens, gaſtritiden a morbo noſtro facile ſecernunt. Lobi ſiniſtri inflammatio coli affectus ſpeciem adeo graphice interdum prae ſe fert, ut, abſente humeri dolore, a coli affectione vix aegre diſtinguenda ſit: eo major eſt hic difficultas, quod dolor interdum adeo obſcurus ut vix percipiendus ſit, quod plerumque pariter, alvus pertinaciter aſtricta ſit, quodque denique aegrotus in utrumvis latus pari negotio cubare queat: quapropter ad omnium ſignorum catervam animum advertendo, hepatitiden ab hac coli affectione, partiumque vicinarum rheumatiſmo, caeteriſque corporis affectibus rite ſolummodo ſecreveris. In vetuſta majores etiamnum difficultates ſuperandae;

dae; futurum tamen ſpero, ut hiſtoriae morbi ſupra traditae attentius, ſtudendo, ab omni errore nobis ex illo fonte irrepturo, plerumque caveatur.

CAUSAE REMOTAE

Sunt, 1*mo*, Calor, praeſertim cum hic ac frigus alternis vicibus agant. 2*do*, Corporis exercitatio violenta. 3*tio*, Intemperantia, praeſertim ſpiritus vini uſus immodicus. 4*to*, Animi affectus. 5*to*, Febres intermittentes, ac remittentes. 6*to*, Dyſenteria, &c.

Horum omnium calor, ſtimulorum fortiſſimus, princeps morbi cauſa, nobis, utpote quibus perſuaſum eſt, caeteras mali cauſas, aut ſimili modo, caloriſve operi favendo, agere, hic loci potiſſimum perpendendus eſt.

Fuſe et operoſius tractare de operandi modo, quo calor hunc morbum in diverſis Indiae Orientalis plagis ſuſcitet; rationeſque reddere, quare in quibuſdam ſaepius, quam in aliis, graſſetur, quare denique in aliis, ut in quibuſ-

dam Indiae Occidentalis plagis licet omnino ſimilibus, eiſdemque cauſis remotis operantibus; raro aut nunquam ſubnaſcatur; haec omnia inquam ſigillatim, et liquido enucleare non ſolum nos difficultatibus non ſolvendis praepeditos implicaret, ſed etiam hanc diſſertationis noſtrae partem, ultra ſolitos, quibus tentamina inauguralia, fines, circumſcribuntur, longe neceſſario proferret: quapropter has ſolum cauſas, quae maxime, me judice, ad hoc malum ſuſcitandum faciunt, hic loci perſtringam.

Quaedam vero obſervationes, quibus, tanquam principiis inconcuſſis, innixi, caute ratiocinabimur, huic inveſtigationi praemittendae videntur.

Animantia, ſtimulo quovis quadantenus amoto, et poſtea de novo addito, majore cum facilitate nunc eodem affici, ac conſequens eſt, in actionem validiorem incitari, lex univerſalis videtur.

Ut

Ut modo, quo calor, frigusque, fibram muſcularem alterni afficiant, aliquod luminis offundatur, Profeſſorem noſtrum illuſtriſſimum Black, calorem eſſe veram ſubſtantiam, non qualitatem, plurimis periculis nitidis commentariiſque comprobaſſe obſervandum eſt; hinc calor alternis vicibus auctus et imminutus corpus eodem modo, quo caetera ſtimulantia (ut ſupra dictum eſt) afficiat oportet. Sic ſi partem aliquam (manum v. g.) in certo quodam caloris gradu collocatum, ad gradum inferiorem transferas; actionis imminutio ſtatim ſequetur; ſi jam in priorem caloris gradum eandem reducas, actio adaucta, priore tamen major, ob manum jam vi frigoris ſedante magis irritabilem factam, ſubſequetur; ſi eandem gradui adhuc minori immerſam in priorem revoces, actio vaſorum pro rata parte major, ſubnaſcatur oportet: adeo ut calorem hoc modo augendo imminuendoque, vaſorum actionem eo roboris, violentiae, ac impetus, ut inflammatio, gangraena, aut ſphacelus inſequantur,

facile

facile ſuſcitaveris. Hujus rei exempla in frigore aduſtis videre eſt; calore enim ſubito, inflammatione, gangraena, aut ſphacelo, pro caloris gradu, corripiuntur, caute vero et pedetentim, admoto, horum nullo laborant: ſic ut mihi videtur, rite explicari poteſt, quî calor et frigus alterni morbum, de quo agitur, plerumque excitant.

Licet in quibuſdam Indiae Orientalis partibus calor intenſior ardeat; ſi tamen ſibi conſtet, adeo ut non multum ſupra infrave eundem Fahrenhetii gradum mutabilis fluctuet, Europaei, modo ſe, munera ſua obeundi cauſa, radiis ſolaribus objicere non cogantur, ſecunda valetudine fruuntur. Alibi vero, eodemque loci, vento Indiae ſtato ſe vertente; ubi magna caloris, frigoriſque alterna varietas; viſque aeſtus diurni frigore nocturno excipitur; vel ubi a terra aura nocturna, ex mari diurna ordine nexae, continuata ſerie inane alterna perflant, morbi varii, multiplices, natura tamen penitus diverſa late dominantur;

prout

prout calor, coelo aqua plus minus onerato, aliiſve ad alios morbos proclivioribus, graſſetur: calore ſicco, phlegmaſiae, hepatitis praeſertim, humido vero rerum potiente, morbi indole penitus diverſa reſurgentes ſaeviunt. Hinc fit quod hepatitis ſaepius in regione Coromandelae maritima, ubique ſolum ex arena, ſabuloque ſicco praecipue conflatur, quam in Calcutta, aliiſque Bengalae paludibus, vel in coeli ſtatu procelloſo, atque umbrifero, recrudeſcat.

Quaenam ex regionis terreſtris hujuſce ventis incommoda oriantur, neminem fere latet, plagas arenae immenſas, torridas, radiis ſolaribus ad perpendiculum fere directis, calefactas, non aliter quam ſi ex furno candenti, erumpentes, percurrunt: tantumque abeſt, ut perſpirationi, illi in regionibus calidis ſalutari humorum detractioni, quam natura tanta cum ſapientia ad proportionis normam diſtribuere conatur, quo animalia, diverſis licet caloris viribus objiciantur, eundem tamen fere ſem-

per

per gradum conſervant, vel minime faveant, ut etiam ipſam, haud levi mortalium incommodo, inſigniter reprimant, totamque fere corporis ſuperficiem exſiccatam arctius contrahant, ac comprimant. Hinc calor inſigniter augeatur neceſſe eſt: adeo ut interdum multum ſupra ſanitatis gradum aſſurgat; heparque praeſertim, ut ex caloris ſenſu ibi corporis torquentis, biliſque vomitione ſtatim ſubſequente, conſtat, inſigniter ſtimulet.

Si, rebus eo loci ſe habentibus, aut ſtatim antecedat, aut ſubſequatur, frigus, ut plerumque aurae ex mari reduci, aut aëri nocturno ſe incaute objicientibus, frigidave large bibentibus, obtingit, multo graviores edet effectus: atque ſi hepatitis ſtatim, ut ſaepe uſu venit, oriatur, acuta graſſabitur. Si vero haec caloris ac frigoris vis morbo ſtatim ſuſcitando impar ſit; ſaepius tamen iterata, ut ex pravo cujuſlibet ſtimuli ultra citrave ſanitatis normam ac modulum uſu obtingit, totum corpus, hepar vero praeſertim, tanto languore ac

inertia

inertia afficiet, ut non ſolum prava et imminuta bilis ſecretio, ſed etiam hepatitis vetuſta, citius aut ſerius, pro cauſarum vi, tempore, et agendi modo ſubnaſcantur.

Hic vero nobis forſitan objicias, quaerendo, quare, ſcilicet, hepar, prae caeteris viſceribus, hic loci inflammatione, tam frigidarum, quam nec frigidarum nimis nec calidarum regionum prole, potiſſimum laborat?

Si modi operandi, quo quaedam ſubſtantiae quaedam corporis organa afficiant; nempe quo ſalivae glandulas, hydrargyrum; renes cantharides; cutem exanthemata; modique, quo febres intermittentes, ac remittentes, paludum miaſma; continuas vero contagio humana, excitent, rationem reddere clare potuiſſemus; forſitan hac ſimilitudine ſuffulti, huic nodo ſolvendo, aliquatenus pares evaderemus.

Enim enimvero effectus, quos in plagis calidioribus edit, obſervanti, animoque mecum diligentius volventi, calor jecur, prae caeteris

corporis

corporis humani viſceribus, ſingulari, ſuique generis modo, ſtimulare mihi videtur: quod valide confirmatur ex eo quod hic loci, bilis ſecretio eadem, qua cutis excretio adaugetur, ut caeteris excretionibus evenit ratione non imminuatur.

Nec non probabiliter fieri poteſt, ut jecur ventriculum inter et ſuperficiem externam ſitum, hinc potus, illinc aëris, frigori, objectum, corpore nimis calefacto, multo magis irritabile fiat; vel eodem nimis refrigerato, potu ſimul inebriante, caloreve externo, agentibus, gravior effectus hac duplici cauſarum ſerie, edatur.

Licet vero nobis, morbum ex hiſce cauſis quadantenus oriri, concedatur; alter tamen quare ſcilicet, in India Orientali, ſaepius quam in Occidentali, plagiſque huic ſimilibus graſſetur, nodus ſolvendus ſupereſt: utcunque vero ſe res habeat; poſito etiam quod coelum in hiſce regionibus ſimillimum ſit, hoc aliquibus ex ſupra laudatis cauſis tribuendum

eſſe,

eſſe, illaſque majori vi in India Orientali, quam in Occidentali agere, totumque diſcrimen ex hoc diſpari cauſarum opere pendere crediderim.

CAUSA PROXIMA.

Utpote de qua primae notae ſcriptores in ſententias adverſa fronte arietantes ivere, ſummis difficultatibus premi fatearis oportet: aliis aliud viſum, hi morbum venae portarum, illi vero hanc ſententiam, non ſolum non claram, ſed etiam vero abſimilem, reſpuentes, arteriae hepaticae morbum vitio vertendum eſſe clamitant: quapropter meam ipſius ſententiam, hic loci in medium allaturus, non ſine metu, ſummaque diffidentia in arenam tremulus deſcendo.

Ex dictis bilem, non ſolum ineunte ſed etiam progrediente morbo, plurimum praeſertim vero quantitate, peccare liquido patet. Hac aegritudine tentatos, totos menſes, imo etiam annos, ſignis e bilis vitio pendentibus,

quae, praeſertim hepatitide vetuſta ingruente, paulatim evanida, terga dant; progrediente vero, radiceſque altius agente, ſecretione bilis plurimum tandem imminuta, penitus fere evaneſcunt, obſervare liceat; acuta vero, noxa aliqua gravius excitante, exorta, bilis initio inſigniter, morbi progreſſu brevi imminuenda, augetur.

His poſitis, ſi bilem ramulis venae portarum extremis ſecerni, concedatur, nemo diverſas quas ſubit mutationes, ex hiſce vaſis aequaliter mutatis pendere, inficias ibit.

Clariſſimus Monro Profeſſor noſter jure celeberrimus, tunicam venae portae bovillae muſcularem ſcalpello liquido demonſtravit; licetque eadem in vena portae humana oculorum aciem fugiat, illam tamen in homine, aliiſque animalibus ſimili artificio conflatam, jure contendit. Ex his, eoque quod hepar longiſſime a corde, arteriiſque diſtet, adeo ut non horumce impulſu, ſed ſua ſponte, viribuſque ſibi inſitis vena portae moveatur; ex eo pariter,

pariter, quod hic loci ſanguis ex ramis amplioribus, in anguſtiores et capillares; quod ipſius motui obicem, plus minus ponat, neceſſe eſt, ut in arteriis ſit, diffundatur, ex eo denique quod vena portarum valvulis inſtructa non ſit; ex his inquam omnibus rite perpenſis, Profeſſor noſter celeberrimus ſanguinem, non tantum vi a tergo, ſed viribus venae ipſi propriis in hepar diffundi; ipſamque viribus vivis a natura eſſe inſtructam, atque inſtar arteriarum, non ſolum irritabilem, ſed etiam inflammationi opportunam eſſe, uſitato ſuo argumentandi acumine rite contendit.

Hoc extra omnem dubitationis aleam nitido periculo poſuit; arteria hepatica animali ligata; hepar non ſolum inflammationi, ut antea obnoxium, ſed etiam partibus vicinis, ut aliis inflammationibus evenit, agglutinatum comperit. Nollem tamen hic arteriam hepaticam tanquam hujus mali immunem excipias; contra ipſam in omni inflammationis exemplo acutae, plus minus laborare, colligas velim;

velim; ex eo enim quod non ſolum ramuli minutuli in omne hepar ſimul diffundentur, ſed etiam quod oſcula ipſarum extrema ſe invicem ubique hepatis amplexantur, fieri non poteſt, quin unâ ipſarum inflammatâ, altera ſtatim exardeat.

Licetque nobis in quibuſdam acutae, praeſertim jecinoris tunicarum inflammationis exemplis, arteria hepatica, primario affici videatur; attamen propter rationes jam ſupra allatas, venam portarum, plerumque hujuſce morbi ſedem primariam eſſe, non ponere non poſſumus.

Tametſi noxae utrumvis morbum incitantes eaedem ſint; attamen pro rerum diverſitate; pro ipſarum vi; prout ſubito, vel pedetentim in corpus egere; vel prout ſyſtematis vires regionibus calidioribus diutius commorando, morbiſve praeeuntibus fractae fuere; effectus vel cauſa proxima, pro omnium harum rerum varietate, nunc acutam, alias vetuſtam hepatitiden excitantium, diverſa erunt:

quapropter

quapropter hepatitiden acutam, totius ſyſtematis, hepatiſque praeſertim, *vim adauctam*; vetuſtam vero, eorundem *vim imminutam*, definiri vellem.

De Proclivitate ad Morbum.

Licet hepatitis acuta quamlibet aetatem impetere queat; aetate tamen florentes, temperamentum ſanguineum, ex regionibus frigidioribus nuper appulſos, quibuſque fibra muſcularis tenſa, vireſque morbis praeeuntibus fractae non fuerint, potiſſimum, vix unquam infantes, raro impuberes aggreditur. Temperamento vero melancholico praediti, quibus tum corporis, tum animi, vis, morbis quibuſvis, luxuve, praeſertim potu inebriante immodico, diutinove regionis calore, frangitur, quibuſque fibra laxa, in hepatitiden vetuſtam procliviores ſunt. Si quid mihi propriae experientiae innitenti judicare fas ſit; faeminas fere toties, quoties mares hoc morbo tentari, illiſque ſaepius quam his, exitium afferri, facile

cile adducor ut credam. Menſes hoc malo laborantibus abeſſe feruntur.

Neque praetereundum alia animalia, nulla cauſa evidente, ſi calorem excipias, incitante, in hunc morbum eſſe proclivia: numerus enim canum venaticorum ex Anglia, huc adventorum infignis hoc malo e medio tolluntur: nihil magis quotidianum, quam canem domini deliciolum *hepate*, (ſic enim in India Orientali apud omnes morbus audit,) laborantem, hydrargyro tractari: et haec animalia, morbo jam ſuppuratione finito, abſceſſuque inciſo, convaleſcere, certior factus ſum.

RATIO SYMPTOMATUM.

Ex omnibus quibus haec aegritudo ſtipatur ſignis, nullum, quam humeri, claviculamque ſubtus dolor, difficilius exponitur: licet enim, aliae ab aliis, phaenomeni rationem reddendi cauſa, ſententiae in medium illatae fuerint, nihilum tamen ad cauſam enucleandam profecerunt: tam horum, qui nervorum nexui, ſententia, quam qui inflammationi in diaphrag-

ma,

ma, ſeptumque thoracis mediaſtinum, ſurrepenti, jecinoriſve ponderi adaucto, aſcribendum ponunt, nihili quidem pendendae ſunt: hoc enim ſignum, neque verae harum partium inflammationi, neque hepatis pondere et mole ſchirro adauctis, aſſeclam comperire eſt: quapropter huic phaenomeno obſcuro impar, nodum aliorum acumine ſolvendum, cuidamve naturae conſenſui, nondum ſatis perſpecto, adnumerandum in medio relinquimus. Singultus, dyſpnoea, tuſſis, decubituſque in ſiniſtrum latus difficilis, non ſolum ex inflammatione diaphragmati hepar jam tenerum comprimenti, pleuriſque coſtarum, et pulmonum obrepente, ſed etiam ex hepatis pondere, quod ligamenta ſua, quibus ſuſpenditur, quaeque pariter inflammatione probabiliter jam tentantur, deorſum gravat, exoriuntur. Humerorum convexitas ex doloris vacuitate, quam aeger, antrorſum incurvatus, experitur, diaphragmati, corpore ſic poſito, hepar multo minus comprimente, oriri videtur. Vomitus, qui ineunte

hepatitide

hepatitide acuta aegrum aliquando torquet, vel ex inflammatione, ventriculo tandem, ſuperveniente, vel ex magna bilis vi, quae jam in duodenum diffunditur, ex hac autem ut mihi videtur, frequentius pendet.

Caeterorum vero, quae in hepatitide vetuſta obſervantur, phaenomenωn, ex viſceris hujuſce mole, ac magnitudine, ex bili quae, uti videtur, ſaepe qualitate peccat, imminuta ratio reddenda videtur.

PROGNOSIS.

Antecedentium, morbi vis, temporiſque quod duravit; aetatis, temperamentique, aegri ratione rite habita, de eventu ſatis accurate judicabitur. Si aegroti vires quovis luxu, morbis antecedentibus, viribuſque caloris funeſtis plurimum frangantur, exitus infauſtus praeſagiendus eſt. Si medicus non niſi multis diebus elapſis, accerſitus ſit, anceps periculoſuſque exitus, etiamſi aeger morbo mitiori tentetur, ex eo quod tanta cum velocitate in ſup-

purationem praeceps feratur, timendus eſt. Humeri claviculaeque dolor ſubtus gravis, tuſſis ſicca, dyſpnoea, praeſertim ſi remediis idoneis brevi non cedant, ſemper periculum maximum ingruere praedicunt. Si alimenta per vetuſtâ laborantis canalem alimentarium, cito, parumque, niſi quod faſtidium peſſime olentia moveant, mutata ferantur, morbum pervicacem ancipitemque praenuncies.

Si contra, auxiliante medico, pyrexia, caeteraque ſigna importuniora inſigniter brevi remittant, praeſertim quavis exinanitione critica comitante, cutis ſimul humidae calore minuto. Sique morbo vetuſto laboranti ſolitus oris color redintegretur; ſi faeces antea faſtidium moventes jam ſanorum ſimiles, non amplius foeteant, exitum morbi fauſtum ac felicem abſque errandi formidine ingruere praenuncies.

Si autem acutam vetuſta temporis progreſſu excipiat, aegroque priſtinae vires oriſque decor non inſtaurantur; caute admodum nobis utpote quibus hic ſuppuratio timenda ſit de

ancipite morbo augurandum eſt. Denique acuta, quam vetuſta hepatitide laborantes magis vita periclitantur, modo haec auxiliis nondum tentatis longius provecta non ſit. Suppuratio nullo non exemplo ſummum vitae diſcrimen minitatur.

CONSILIA MEDENDI.

Primo in hoc, ſicuti in aliis morbis, cauſae remotae, quas ſupra jam recenſuimus, quoad fieri poteſt, tollendae ſunt. Cum vero ex probatis duae ſint hujuſce morbi ſpecies, *vetuſta* ſcilicet ac *acuta*, natura et cauſa proxima, penitus diverſae : curatio ſit pariter duplex oportet.

Hepatitis acuta quae primo propter ſigna graviora periculumque quibus undique cingitur medici attentionem jure ſibi vindicat, regimine antiphlogiſtico, ſanguinis miſſione, catharticis, et veſicatoriis, de quibus ſigillatim paucis differendum, curanda eſt.

Regimen

Regimen antiphlogiſticum hic, ut in omnibus viſcerum ad vitam neceſſariorum inflammationibus rigide ſemper adhibendum, ſatis patet.

Sanguinis miſſio certis limitibus ne ultra citrave rectum excurrat pro aegroti aetate et viribus, morbi violentia, temporeque quod duravit, ut ſua cuique prudenti medico ratio ſuadebit, circumſcribenda eſt.

In regionibus calidis phlegmaſiae tam brevi in diverſae naturae morbos mutantur, ut venam non niſi cautiſſime pertundere fas ſit; ſi enim primo, ſecundo, aut ad ſummum tertio morbi die, ſanguinis miſſio non celebretur; non ſolum anceps, ſed etiam plerumque periculoſae plenum opus aleae futura eſt. Eſt eo quod in hanc rem animum non ſatis intendant, ſcalpellum ſtringentibus, rem ſaepius infauſte ceſſiſſe facile crediderim: nullo nos enim auxilio modo limitibus ſupra dictis accurate circumſcribatur praeſtantiore, potiri, experientia fretus, nil dubito aſſerere. In locis aridis

copioſius,

copiosius, quam in humidis, in his enim fibra debilis et laxa, sanguis mittendus: nautis qui cibo pravo parumque nutriente vesci coguntur tam haec quam quaelibet alia exinanitio parcius utenda.

Cathartica, si iisdem finibus quibus sanguinis missio limitentur, hoc malo laborantibus prosunt; leniora vero ut tartarus solubilis, sal rupellensis, &c. parvis dosibus propinata ita ut alvus leniter solvatur, anteferenda sunt: juxta venaesectionem,

Vesicatoriis maximam fidem ac fiduciam habeo: vesicatorium amplum parti affectae, quam potest proxime et successive diversis regionis hepaticae partibus applicandum erit; sic enim multo magis quam si fonticuli unguento epispastico fiant proderit. Agentibus vesicatoriis, diluentia copiosius, eo quod in calidis magis quam in frigidis regionibus urinae meatus afficiantur, propinanda.

Refrigerantia, qualia sunt fructus acidi, quippe qui sitim alvique duritiem jucunde levant,

vant, malo laborantibus plurimum prodeſſe experientia conſtat: ſales medii, nitrum multa aqua ſolutum, et julapium ſalinum ex alkali vegetabili fixo et acido vegetabilium conflatum, ad curam facere conſtat.

Cum hepar iiſdem quibus reliquum ſyſtema legibus gubernatur; acuta, ſi ſigna graviora ſint diutiuſve perſtent, in ſuppurationem, aut vetuſtam, degenerando, deſinat, oportet: jamque aliis de quibus infra auxiliis curanda eſt.

Hepatitidis vetustae Medendi Ratio.

Auxilia quibus ſuffragante experientia, vetuſtae, utrum acutam aliumque quemcunque morbum excipiat, an primario exoriatur, optime medetur, ſunt, laxantia mitiora, hydrargyrum, veſicatoria, tonica, &c.

Tubo alimentario parvis laxantium doſibus expurgato, ad *unguentum hydrargyri fortius*, quod primo copioſius, donec animae foetore in fluida intromiſſum percipiatur, poſtea vero parcius, ita ut vaſa metallo onerata aliquan-

diu

diu ſtimulentur ; interim a ptyaliſmo, tam hic enim quam alibi obeſt, caute caventibus, confugiendum eſt. Regioni hepaticae modo hic veſicatoria applicata non ſint affricandum eſt : hinc enim magna morbi levatio. Affrictus tempus admodum pro rerum diverſitate diverſum medico judicanti relinquendum eſt.

Veſicatoria, qualis modus operandi cunque ſit, ut in acuta praecipitur, adhibenda, plurimum prodeſſe conſtat.

Dyſpepſia, fibraeque muſcularis laxitas, morbi ſatellites indivulſi, quam bene tonica et ſtimulantia morbo occurrant, digitis quaſi deſignant : haec autem caute utenda, ad mitiora enim, qualia ſunt infuſa amara, parvulae tincturae corticis Peruviani, radiciſque columbo, ſuperaddita quantitate confugiendum. In victus tenuioris in acuta laudati vicem, cibus lautior concoctu facilis aromatibuſque ſcite conditus ſufficiendus eſt. In India cibus cui nomen *curry* concoctu facilis, ex carne parvaque vegetabilium portione conflatus, capſi-

co,

co, curcuma, aliiſque aromatibus bene conditus, quem una cum oryza comedunt, plurimum invaleſcit. Poſt cibum unus aut alter Madeirae aliûſve vini meraci cyathus proſunt: potus communis vinum aut ſacchari ſpiritus aqua diluta ſit: cereviſia enim utentibus aſceſcit.

Ad ſigna importuniora, praecipue tuſſim quae tam in acuta quam in vetuſta plerumque torquet, compeſcenda, nihil opio, quod mirandum levamen plerumque affert, praeſtantius eſt.

Si morbus hicce auxiliis pervicax non cedat, in coelum mitius ac purius migrando, hydrargyro interim caeteriſque remediis aliquandiu repoſitis, et denuo poſt aliquod temporis reſumptis, aegrotus ſaepe convaluit.

Si haec votis parum reſpondeant; in aliquam Indiae Sinarumque regionem longinquam navigantibus res ſaepe feliciter cedit.

Diarrhoea, ſaepe mali comes, adeo importuna eſt, ut aegrum ad remedia aſtringentia ſae-

pius

pius adigat: haec vero, quippe que ſuppurationi haud leviter faveant, peſſimos ſemper edunt effectus; et niſi alvi proluvies tanta cum immanitate ſaeviat, ut vitae periculum ingruat, cane pejus et angue vitanda ſunt. Hydrargyro abdomini affricato, lanulaeque poſtea indutae terga plerumque dat ſignum ingratum. Aegroto in equo aut curru exercitatio lenis pro viribus utenda, interimque a coeli intemperie caute cavendum.

Suppuratione exorta, tonica validiora et ſtimulantia, qualia ſunt corticis Peruviani pulvis, vinum rubrum vel Madeirenſe utenda ſunt. Abſceſſus extrorſum tumens quam primum ſcalpello incidendus eſt: ſi autem viam ſibi in inteſtina edax patefaciat, laxantibus mitioribus, ne partis eroſae hiatus juſto citius agglutinetur, neve ductus communis choledochus, ſi hac forte pus ruat, oppiletur, leniter ſtimulanda ſunt.

TANTUM.